



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

lxii [i.e. iv]. Compositu[m] tame[n] no[n] est natura.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



corpori (separata enim non potest esse natura in rigore aristotelico, cum non sit causa, ut moventur id, cui inest) est propriè natura; Nam ut talis est forma distinguens hoc compositum ab aliis, adeoque ejus pars; est item causa motuum physicorum V. G. intellectuum, quæ licet de se sint spirituales, in quantum tamen procedunt ab anima unita corpori, sunt motus totius corporei, & connexi cum motu sensibili & corporeo phantasmatum aliorumque sensuum & eorum organis.

IV. Non tamen totum compositum in rigore est natura; quia non est causa, ut moveatur id, cui inest tanquam pars. Et sic docet Arist. inquit: *compositum quidem natura non est, sed constat naturâ*; neque sibi contradicit alibi inquit: *natura quidem sunt animalia partesque ipsorum & planta & simplicia corpora; hæc enim & ejusmodi res naturâ dicimus esse*. Sic enim intelligendus est: *animalia & partes animalium sunt à natura &c.* quod patet ex eo, quod statim subdit: *alia verò sunt ob alias causas &c.* puta, ab arte, vel à casu. Vel sic est intelligendus, ut *à natura* sit ablativi casus & idem significet,



cet, ac ea constare naturâ dicimus, ut patet ex græco ταῦτα εἶναι, φύσει φαιμέν: Unde τὸ *natura* prius positum respectu animalium & partium animalium est analogicum, utpote quod respectu animalium sumitur pro entitate constante naturâ, respectu partium sumitur propriè. Similiter unio compositi substantialis non est natura, si ad eam requiras, esse constitutivum compositi *ut quod*.

V. Motus naturalis ( pro ut τὸ *naturale* opponitur violento ) est, qui est secundum exigentiam vel inclinationem ejus, in quo motus & ejus terminus est, tanquam in subiecto denominationis, quod est totum compositum: attentè dum autem præcipuè est ad formam, num sit juxta eius inclinationem. Motus medius seu neuter & præternaturalis est ille, qui nec est juxta, nec contra, nec supra exigentiam rei, talis est lux respectu aëris, forma statuæ respectu ligni, vel potius productio lucis & formæ statuæ. Violentum est: *quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim*: id est, motus vel terminus procedens effectivè à principio non incluso in ipso toto, cui non censetur passum conferre vim, etsi in illum motum influat materialiter seu  
passi-